

dum interimalis impositae, hoc titulo cuivis Domui xros 45. simus adrepartiti, ea ratione, ut huic oneri etiam Possessiones binae Academiae Fluminensis Podbreg et Lopacza per immutationem praestationum Sbir et Sztrasa compellatarum, et hactenus per easdem dependi solitarum, simili modo sub titulo Contributionis subjecta habeantur.

Quantum porro specificatos in Tabella Cassae Domesticae florenos 2000 concernit, Excelso Consilio Regio demisse referimus, hos titulo refusionis anticipationis Cameralis in fl. 10.000 eventualiter adnotatos quidem haberi, demissam nihilominus opinionem nostram illam esse, quod ab his plebs Contribuens Comitatus hujus relevari omnino posset, si ad Tenorem hic adnexi Cameralis Intimali, ad Excellentissimum Dominum nostrum Supremum Comitem expediti, in sortem hujus bonificationis ipsum praeadnotatorum 3742 florenorum et crucigerorum 50 Contributionale Quantum assumatur, exindeque Cassae Militari Zagrabiensi nonnisi annui floreni 1742 crucigeri 50 per quinquennium dependantur, donec nempe per annuos florenos 200 Cassae Camerali Posoniensi dependendos praemissa anticipatio fuerit expuncta.

Super quibus omnibus dum gratiosam Excelsi Consilii Regii Resolutionem humillime efflagitamus, una quoad superius insinuatam Partium Transcolapianarum per Deputatos Comitatus Zagrabiensis instituendam resignationem in iisdem Partibus inde a 1-a Novembris anni currentis sistendam Contributionem attinet, quo debita manipulandae Comitatus hujus tum Jurisdictionis, cum et Cassae ratio iniri possit, eidem Excelso Consilio Regio demisse supplicamus, quatenus congruos eatenus ordines ad praefatum Comitatum Zagrabiensem expedire gratiose dignetur. Qui in reliquo altis Excelsi Consilii Regii gratiis humillime commendati perseveramus.

Ex opere: De Jure Croatiae ad Urbem Portumque Fluminensem.

CCLXIV.

Anno 1778. die 10. Aprilis. Viennae.

Maria Theresia Comitatum Severinensem instituit.

Nos Maria Theresia, Divina Favente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Lodomeriae, Galitiae, Bosniae, Serviae, Cumaniae et Bulgariae Regina Apostolica, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae et Carnioliae, Magna Princeps Transylvaniae, Marchio Moraviae, Dux Brabantiae, Limburgiae, Lucemburgae, Geldriae, Vürtembergae, Superioris et Inferioris Silesiae, Mediolani, Mantuae, Parmae, Placentiae et Gvastallae, Auschviczy et Zatori, Princeps Sveviae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Hannoniae, Kyburgi, Goritiae et Gradiscae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, superrioris et inferioris Lusatiae, Comes